

10 Hâc responsione nequiquam contentus est Huberus ad *cit. tit. Inst. num. 46.* mihi Cæsaris, ajens, ratio non tantum auctoritate potior, sed & solidior in se esse videtur. Nam bona fides absolvit quidem non dominum a delicto, sed non a restitutione, & causam domini minimè præstat: absurdum enim foret, opinionem alterius meum jus minuere, vel mutare. Causa fructuum acquirendorum est factum aliquod possessoris, ut est in fine *l. fructus 45. ff. de Usur. & fruct.* Requisite quidem bona fides est, & conditio sine qua non, ut loquimur, sed causam positivam oportet aliam esse, quæ ex Jure Naturæ petenda, quod pro fundamento hujus rei Imperator supponit. Hoc autem dicitur, ait Grotius *l. 2. cap. 10. §. 4. fructus rei*, id est, merè naturales dominium sequi; verum industria fructus, etiam sine re non procederent, rei tamen non debentur, inquit, sed possessori bonam fidem habenti cedunt. Igitur, quibus neque ratio, neque curatio, neque perceptio artificialis adhibetur, hos ex naturali ratione non fieri possessoris, necessariò sequitur. Et cum Jus Civile hâc ratione se fundet, consecutaneum est, fructus naturales non fieri bonæ fidei possessoris.

11 At certè Huberi discursus non evertit nostram responsionem. Nam, si intimiùs scrutemur rationem Cæsaris, ille principaliter se fundat in bona fide, de qua bis mentionem facit; statimque in casu diverso, quò possessor est in mala fide, statuit, ei, qui alienum fundum sciens possiderit, non idem concessum esse, dum cum fundo fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere. Sin autem in cultura & cura præcipuam rationem lucrandi fructus posuisset, etiam malæ fidei possessori, qui & ipse colit & curat, lucrum adscribere debuisse. Neque absurdum est, opinionem alterius meum jus minuere, vel mutare: si enim opinio alterius in materia præscriptio-

nis totum jus meum auferre valeat; cur non possit illud diminuere, fructus rei in possessorem transferendò? Et quis bonæ fidei possessor aut culturam aut curam impenderet enutriendis & colligendis fructibus, si nunquam securus foret, utrum ad se pertineant?

Si præcisè insistamus Juri Naturali, non tantum fructus naturales sed etiam industriales spectant ad dominium rei, ex cujus corpore enascuntur, ut dictum in *cit. hoc cap. num. 97. & seq.* licet possessori expensas industriae deducere permittum sit. Naturalis tamen ratio, quam allegat Justinianus in *cit. §. si quis 35. Inst. de R. D. juxta numer. 15.* non incongruè refunditur in bonam fidem, quatenus æquitati consentaneum est, ut, qui rem alienam bonâ fide tractat, servat, & custodit ut suam, fructus exinde consequatur.

Taceo, quòd Vinnius doceat, rationem Imperatoris pro cultura & cura oppositionem inter fructus naturales & industriales non inferre: quia vix ulla res est, quæ sine cultura aut cura aliqua fructum ferat. Siquidem & hoc stomachum movet Hubero *cit. l. n. 47.* ubi dicit, hoc nihil aliud esse, quàm totam negare distinctionem inter fructus, quos sola natura, & quos industria producit. Quamquam, ut scribit Clariss. D. Herz de Beato Civo *p. 2. cap. 3. §. 3. num. 29.* malè metuat Huberus, cum culturam ad industriales, curam ad naturales vel utrosque referre possimus, maxime si curam non tam de ipsi fructibus, perceptionem parandis, quàm colligendis, & re, unde proveniunt, curanda, intelligamus. Paulus certè in *l. bona fidei 48. §. ult. ff. de A. 24. R. D. de emptore bonæ fidei & sanè*, inquit, quin hoc suum faciat, quamvis oves plenis uberibus venierint, dubitari non potest; idemque in lana juris est. Et tamen nulla hic cultura, sed cura in emulgendo lacte & tondendis ovibus harumque pecudum pastura intervenit.

QUÆSTIO III.

Quisnam possessor ex fructibus perceptis censeatur esse factus locupletior?

25 Sensus quæstionis est, an ille, qui vel ipsos fructus, vel eorum distractorum pretium in usus proprios, aut familiæ suæ sustentationem impendit, censeatur esse factus locupletior? Ita enim concludendum videtur ex *l. in pupillo 47. §. 1. ff. de Solutio.* ubi pupillus, cui sine auctoritate tutoris solutum est, quasi locupletior factus intelligitur, si necessariam sibi rem emit, quam necessariò de suo erat empturus: nam hòc ipso, quò non est pauperior factus, locupletior est. Sic & in filiofamilias Scævola putabat, Macedonianum cessare, si in necessariis causis filius mutuam pecuniam acceperit, & eam perdidit. Idem propè decernitur in *l. sed et si 25. §. 16. ff. de Hæredit. peti.* ubi Ulpianus ait: quòd autem quis de hereditate erogavit, utrum totum decedat, an verò pro rata

patrimonii ejus: ut puta penum hereditatem exhibet: utrum totum hereditati expensum feratur, an aliquid & patrimonio ejus: ut in id factus locupletior videatur, quòd & solebat ipsa erogare ante delatam hereditatem? ut si quid lautius de contemplatione hereditatis impendit, in hoc non videatur factus locupletior; in statutis verò suis sumptibus videatur factus locupletior: utique enim, & si non tam lautè erogasset, aliquid tamen ad victum quotidianum erogasset.

Ex adverso stat textus in *l. si sponsus 5. §. 8. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* ibi: definiti solet, eam domum donationem (inter conjuges) impediri solere, qua & donantem pauperiorem, & accipientem facit locupletiosem. Porro hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicavit. Nec movet quemquam, quòd emeret, nisi à mari-

20 accepisset: nam, et si pauperior ea fieret, nisi maritus dedisset, non tamen idcirco sic locupletior, quòd non expendit.

28 Clariss. D. Herz *cit. p. 2. cap. 3. §. 3. n. 41.* sapienter observat, locupletationem posse accipi strictiùs, aut laxiùs. Strictiùs accipitur in *d. l. si sponsus 5. §. 8.* & rectè applicatur ad donationes inter conjuges, quarum nul-

litas, cum odiosa sit, restringi, & nulla alia locupletatio prohibita censeri debet, ac ubi reipsâ augentur bona. In prioribus *l. 29* accipitur laxiùs, & merito adaptatur ad negotia, ubi pro actore, qui de damno vitando contendit, æquitas perorat, ne ultra modum emolumentò rei suæ privetur.



SUPPLEMENTUM  
AD  
TRACTATUM III.  
DE  
PACTIS ET CONTRACTIBUS.  
CAPUT I.  
De Pactis & Contractibus in genere.

SUMMARIA.

1. & seqq. Pactum tacitum eruitur ex literis receptis, non secutâ in continenti protestatione. 5. & seq. Quòd tamen cum temperamento accipiendum est. 7. & 8. Nam hodie differentia super sit inter contractus bonæ fidei & stricti juris? 9. & seqq. Adstruitur dolus verus & presumptus. 12. & seq. Dolus in omni contractu præstat. 14. & seq. Culpa divisa in tres gradus stabilitur. 16. Regula nostra de præstatione culpe. 17. Notatur adversarius.

18. & seqq. Refusatur. 21. Tractatur de culpa in concreto & in abstracto. 22. Illius fundamentum ex *l. 32. ff. Depositi.* 23. & seq. Duplici responsione subvertitur. 25. & seqq. Notamen pro praxi. 28. Secundum aliquos quoad culpam levem est discrimen inter res communes & prorsus alienas. 29. & seqq. Impugnatur. 34. & seqq. Agitur de casu fortuito & insolito.

QUÆSTIO I.

An Pactum tacitum interveniat, quando quis recipit literas, in quibus agitur de obligando, easque sine protestatione retinet?

1 Admodum frequens est, ut is, cui aliquid debetur, mittat debitori suo literas, obligationem & causam debendi continentes, vel etiam schedulas, non signatas aut clausas vulgò Conti vel Hussjügl. Jam, si accipiens ad ejusmodi literas taceat, easque sine protestatione retineat, videtur consentire, & debitum agnoscere, sicque pactum tacitum consurgere. Id quòd probatur non solum ex *l. si filiusfamilias 16. ff. de Scro Macedon.* ubi ita disponitur de patre, cui filii familiaris mutuam à se acceptam per literas denuntias petit, ut solvat; sed etiam arg. *l. qui negotia 34. in pr. ff. Mand. in verb. nuda pactione*, ubi quidem negatur esse mutuum, si mandatarius ad mandantem scribat, se pecunias, ejusdem mandantis nomine exa-

ctas, titulo crediti servaturum, non obscure tamen supponitur, pactum tacitum subesse; quin & ex *Clem. instrumento 1. de Probat.* ubi procuratoris officium suscipere obligatur, qui literas, in quibus procurator est constitutus, sine protestatione recepit, additâ ratione: cum per hoc ad omnia suum præstitisse videatur assensum.

Tuetur hanc doctrinam cum aliis à se citatis Clariss. D. Franciscus Josephus Herz in *tract. de Fide pacta cap. 2. §. 6. num. 81. & seq.* & simul advertit, tacitum hoc pactum non statim & in momento oriri, quando is, qui ejusmodi literas accepit, in continenti non contradicit: nam, licet in *cit. l. si filiusfamilias 16.* reperitur *ly continuo*, recipit tamen aliquod temperamentum & laxamentum.

temporis, intra quod accipiens literas deliberare, respondere, vel etiam peritiores consulere possit. Id quod pendet ex Judicis arbitrio.

## QUÆSTIO II.

*Num hodieum supersit aliqua differentia inter contractus bonæ fidei & stricti juris?*

**7** Superesse adhuc aliquam differentiam etiam apud Germanos, liquidè ostendit Clariss. D. Herz *cit. l. cap. 3. §. 6. num. 40.* speciatim quoad acquisitionem aut restitutionem fructuum, ex re aliena perceptorum; & æstimationem rei deperditæ aut deterioratæ; de qua utraque differentia egi in *hoc cap. num.*

*mer. 97. & num. 100.* Quoad reliquas differentias, quas tetigi *d. l. & num. seqq.* putat idem D. Herz *num. 39.* vix unam hodie superesse, præsertim in materia usurarum, quæ modò tam ex pacto nude, vim stipulationis habente, quam ex mora debentur.

## QUÆSTIO III.

*Quomodo in pactis & contractibus præstetur dolum?*

**9** Dolum esse duplicem, verum scilicet, qui ex perspicuis indicis patet, & præsumptum, qui ex verosimili seu probabili conjectura colligitur, sunt, qui adstruunt, sunt etiam, qui rejiciunt. Utramque sententiam dexterrimè concordat Clariss. D. Franciscus Josephus Carolus Schlosgangl in insigni tract. de Dolo, Culpa, & Casu pars. I. cap. I. num. 6. quòd quidem de rigore, & quando agitur de actione doli concedenda, dolum præsumptus haud consideretur, sed demum ex magna & evidenti calliditate de dolo agi permittatur *l. & eleganter 7. §. ult. ff. de Dolo malo.* Possit tamen in præsentibus uberioris do-

ctrinæ gratià eò faciliùs tolerari, quòd in causis pecuniariis lata culpa ubique ferè pro dolo habeatur, ut dictum in *hoc cap. num. 292.*

Dolum porro in omni pacto & contractu præstari, damnumque dolo datum resarciri debere, ita ut dolum futurum remitti nequeat, constat ex *d. cap. num. 291.* Quamquam tacitè remitti posse dolum, laud. Clariss. D. Schlosgangl p. 2. cap. I. num. 3. probet ex *l. si unus 27. §. 3. ff. de Pact.* ubi pactum prodesse asseritur, si quis pacificatur, ne depositi agatur: videtur enim reipsa pacifici, ne agatur de dolo.

## QUÆSTIO IV.

*Qualis culpa in pactis & contractibus præstetur?*

**13** Receptissimam divisionem culpæ in tres gradus, latam scilicet, levem, & levissimam, contra nonnullos recenter stabiliverunt Viri Clarissimi, D. Herz de Fide pacta cap. 5. sect. I. §. 1. à num. 9. & D. Schlosgangl *d. tr. p. I. cap. 3. à num. 15.* Cujus summa ratio juxta Titium apud Mollenbecium est: quia in omnibus, quæ gradibus distinguuntur, quos tamen accuratè & ad mathematicum rigorem dimetiri non licet, tres saltem gradus asseri possunt, duo extremi, & tertius, qui inter utrumque sit: nam, si quatuor, quinque, vel plures asseras, tum accuratè ostendendum foret, ubi alter incipiat, alter desinat; quod tamen rei natura non admittit; ast, si in numero ternario subsistas, difficultatem istam effugis: nam duo extrema & tertium interjacens asserenti cura accuratè dimensionis non incumbit.

**16** Quænam verò ex his culpis juxta prædictos tres gradus in singulis pactis & contractibus præstetur, in *cit. hoc cap. à num. 292.* ostendi, regulam desumens ex utilitate, quæ in contrahentes dimanat. Sed quia alleg. Titius in *Theaur. Jur. ad tit. de Commod. n. 106.* à communi sententia divortium facit, contendens, non tam ex natura contractuum

quàm læsi consensu modum præstationis culpæ æstimandam esse; doctè refellitur à D. Schlosgangl *d. l. p. 2. cap. 2. num. 9.* tum quia juxta §. 2. *Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* non sufficit, commodatarium talem rebus alienis, qualem suis solet, adhibere diligentiam: tum quia fides & industria contrahentium sæpe incerta est, nec semper ob commerciorum & negotiorum festinatam tractationem penitus explorari potest: tum quia contractus natura certa & uniformis est; atque ad eò re & voto contrahentium esse censetur, ut etiam à negligentibus præstetur ea diligentia, quam natura contractus exigat; quin etiam contenti esse præsumuntur, ubi nil aliud expriment, etiamsi cum diligentissimo paciscantur.

Sed quid dicendum de culpa in concreto & in abstracto, an illa pro legitima culpæ speciei, aut regula præstationum erit accipienda? Volunt enim aliqui regulas nostras de gradibus culparum solum in abstracto & ex nativa contractuum indole procedere; in concreto autem sive in individuo spectandam esse frugalitatem & diligentiam contrahentium, quæ utuntur in rebus propriis, ita ut, si in hisce sint diligentiores aut dili-

diligentissimi, non possint absque admissione culpæ in concreto minorem rebus alienis adhibere industriam, esto ex natura contractus ad communem duntaxat diligentiam.

**22** obstringantur. De horum variis opinionibus eruditè ac subtiliter disserit Clariss. D. Schlosgangl *d. l. p. I. cap. 3. num. 17. & seqq.* Cùmque, ex omnium propè confessione, ansam culpæ in concreto & abstracto dederit notissima *l. quod Nerva 32. ff. Depof. à Jcto Celso* ita concepta: *quod Nerva diceret, latiore culpam dolum esse, Proculo displicebat: mihi verissimum est: nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstat, fraude non caret: nec enim salva fide minorem is, quam suis rebus, diligentiam præstabit: cùm, inquam, hæc l. præfatæ divisionis causam subministraverit, maximoperè interest, ut germanus illius sensus indagetur.*

**23** Ego in hoc tract. cap. 3. num. 125. & seq. duplicem explicationem & responsionem dedi. Prima erat, quòd *cit. l. ventilet casum de depositario, qui ne quidem in rebus suis communem diligentiam seu infimum gradum adhibet, prout eruitur ex verbis: nisi quis non ad eum modum, quem hominum natura (subintellige communem & ordinariam) desiderat, diligens est: talis enim, nisi saltem ad suum modum id est, juxta remissionem in rebus propriis, diligentiam, seu potius negligentiam rei depositæ curam habeat, dubiò procul culpam latam, dolo proximam, admittit.*

**24** Altera est, quòd, si de homine magis sobrio, & accuratiore patrefamilias eadem l. concepta videatur, sit in præsumptione fraudis fundata, ut patet ex verb. *fraude non caret, quatenus, qui minori custodia res depositas quam proprias observat, non extra omnem fraudis suspicionem est positus per cap. un. de Commod. ubi de depositario dicitur: bona fides abesse præsumitur, si rebus suis salvis existens, depositas amisit.*

Neque pœnitent me, sic respondisse; licet pro utilitate practica lubens admittam, quod pro medio suggerit Clariss. D. Herz *cit. cap. 5. sect. I. §. 1. n. 16.* Nempe *cit. l. quod Nerva 32.* non ad eò effusè est accipiendâ, ut diligentissimus quoque in suis, eandem diligentiam non adhibens rebus alienis, culpæ latæ reus, & ad damni reparationem sit condemnandus: cùm ab æquitate longè remotum foret, in illis negotiis, in quibus nullum commodum percipimus, ad tantam nos diligentiam constringere.

**26** Econtrà etiam tam strictè intelligi non debet, ut præcisè ad hominem infimæ industriæ in suis rebus coarctetur, atque ad solam culpam latam, cum præsumptione fraudis, limitetur; sed ulterius per gradus ita eundem videtur, ut media diligentia, sicut & summa in rebus propriis, in alienis tamen omiſſa, præsumptivè arguat culpam viciniorum, illa quidem latam, hæc levem. Consentit Clariss. D. Schlosgangl *d. cap. 3. n. 36.*

Ex quibus colligere licet, quæ nostra sit opinio de distinctione culpæ in concretam & abstractam; vel quo cum temperamento ad usum fori deduci possit.

Unum superest, an culpa levis aliter sit definienda quoad res prorsus alienas; aliter quoad communes, uti contingit in societate, communione hæreditatis, & rei singularis. Sunt enim Doctores magni nominis, qui culpam levem quoad res prorsus alienas veliat esse omissionem diligentia mediæ, seu deviationem ab illa diligentia, qualem solentiores & accuratiores patrefamilias adhibere solent; quoad res autem communes existiment, illam esse omissionem diligentia, quam quis rebus propriis impendere consuevit, sive deinde in rebus suis diligentior sit, sive remissior per *l. hæredes 25. §. 16. ff. Famil. heredit. ubi de cohærente dicitur: non tamen diligentiam præstare debet, qualem diligens patrefamilias: quoniam hic propter suam partem causam habuit gerendi: & ideo negotiorum gestorum ei actio non competit: talem igitur diligentiam præstare debet, qualem in suis rebus.*

Sed quia non immemor sum eorum, quæ tradidi in *hoc tract. cap. 2. num. 607. de societate; item cap. 6. num. 155. & num. 177. de communione hæreditatis & rei singularis, quòd nempe in contractibus hisce præstetur culpa levis, sicut in aliis, ubi versatur utriusque contrahentis utilitas: non possum adstructæ diversitati ad stipulari; tantòque minus, quòd intentio Jcti in *d. l. hæredes 25. §. 16.* non fuerit, à diligentia in rebus propriis universale argumentum deducere ad diligentiam in rebus communibus: quippe cùm excludat actionem negotiorum gestorum, quæ in nostra sententia diligentiam maximam desiderat; eam non exclusurus, si socius v.g. aut cohæres, in suis rebus diligentissimus, eandem deberet rebus communibus impendere.*

Itaque supposuit in cohæredibus diligentiam mediam, quam si rebus, ex hæreditate communibus, collocaverit, à culpa immunis erit; sicut, dum illam omittit, culpæ reus est, etiamsi in rebus suis tantum præstet diligentiam infimam. Nec eum excusat, quòd causam habeat gerendi in hisce rebus, quibus immixtæ sunt propriæ: ne enim cum præjudicio alterius, qui & ipse res suas habet immixtas, negligenter versetur, illius diligentia magis acuenda, quam diminuenda videbatur.

Et quid potius in rebus communibus attendendum est, quàm ut unus v.g. ex sociis aut cohæredibus obligetur, sicut obligatur alter? Quàm facile autem accidere posset, ut unus in sua œconomia esset diligentior & vigilantior, alter remissior & oscitantior? Ubi certè eveniret absurdum, quòd homo sobrius ad plus teneretur, quàm negligens; hicque ex sua ignavia commodum, ille ex vigilantia cura incommodum reportaret.



## QUÆSTIO V.

Quis præset casum fortuitum in pactis & contractibus?

- 34 **J**am habetur regula in cap. pres. num. 297. Sed quia multi distinguunt inter casus fortuitos solitos, qui frequentius accidunt, & insolitos, qui rarissime eveniunt: hinc etiam emergit quæstio, an, qui indefinitè casus fortuitos in se recepit, ad casuum quoque insolitorum præstationem teneatur? Quam affirmativè resolvit Clariss. D. Sehlogangl sæpe cit. tract. de Dolo, Culpa, & Casu p. 2. cap. 3. num. 17. quia, qui nihil excipit, sed generatim de casu fortuito cavet, alterum de omni damno, quod prævideri aut averti non potuit, securum & indemnem esse promittit. Cum autem ex practicis Gailius lib. 2. obs. 23. num. 18. & 19. casus insolitos, aut, si ita loqui placeat, insolitissimos excipiat, quasi de his contrahentes probabiliter non cogitaverint: eapropter consultum erit, ut, ad præcedendum omne dubium, in expressam stipulationem deducatur, quod v.g. commodatarius omnes prorsus casus fortuitos, solitos, insolitos, aut insolitissimos, quocunque nomine veniant, sufferre velit. Clariss. D. Herz de Fide pacta d. c. 5. sect. 1. §. 2. n. 24.

## CAPUT II.

De Contractibus consensualibus.

### SUMMARIA.

1. & seqq. Differentia inter jus retractus & prælationis ostenditur. 4. & seqq. Indignantur persona, quibus competit retractus gentilicium. 8. & 9. Indignantur etiam contractus, in quibus locum fortitur. 10. & seqq. Uti & tempus, intra quod datur. 12. & seqq. Incommoditas notabilis est causa emigrandi ex adibus conductis. 16. & seqq. Dummodo non proveniat à persona conductoris. 18. & seqq. An, si res locata non tradatur, aut usus denogetur, possit conductor recedere à contractu? 21. Laudemii cymon. 22. Definitio. 23. Est pars pretii. 24. & seqq. Ex alienatione. 26. & seqq. Certorum bonorum. 30. & seqq. Domino directo. 34. & seqq. Pro subscriptione ac receptione in possessionem. 37. & seqq. A novo acquirente. 42. Persolvenda. 43. & seqq. An Dominus directus amittat feudum, quando id sine consensu vasalli alienat? Variæ opiniones. 45. Ratio pro negativa. 46. & seqq. Authores & Defensores illius.

## QUÆSTIO I.

Quid sit jus retractus; cui, & in quibus contractibus competat?

- 1 **J**uris retractus definitionem & divisionem invenies in hoc cap. à num. 270. Illius discrimen à jure prælationis consistit in hoc, quod retractus locum habeat, quando res, obnoxia retractui, jam est alienata; jus prælationis ex adverso obtineat, quando res necdum est alienata, sed tractatur de alienando. 2 Sic v. g. dominus directus in re emphyteutica sortitur jus prælationis, vi cujus emphyteuta, rem emphyteuticam vendere cupiens, tenetur eam offerre domino directo, qui præ omnibus aliis emptoribus rem emere potest. ult. Cod. de Jure emphyteut. At jure retractus non gaudet, nec potest rem, suo consensu venditam, postea retrahere, vel ex bonis emptoris avocare. Blumlacher de Retrahtu p. 1. th. 9. num. 11. & num. 16. 3 Competit jus retractus gentilicium omnibus, qui de familia sunt alienantis, sive sint mares, sive feminae, aut ex ipsis descendentes per tit. 13. lib. 5. Feudor. Blumlacher d. l. th. 4. per tot. qui etiam in th. 5. num. 1. & seqq. tradit & probat, filium posse feudum, à patre alienatum, retrahere, sive adhuc patriæ potestati subdit, sive ab ea jam liberatus existat; dummodo habeat propria & peculia-ria bona, & pecuniæ ei à patre non subministrantur; alioquin enim emptor facile defraudaretur, ex quo pater, suppeditandò pecuniam, potius ipse, quam filius, retrahere, factumque proprium impugnare videretur. Imò cit. Author in num. 2. & seqq. docet, id procedere, quando filius est hæres patris, & hæreditati paternæ se immiscuit per cap. constitutus 8. de in integr. restit. quia non consideratur ex jure patris, sed proprio; neque agit contra factum defuncti, illius venditionem infestandò, sed tantum petit subintrare in jus primi emptoris: unde etiam de eversione tantò minus obstringitur, quod res retracta non fuerit aliena, & aliunde pretium numeratum à retrahente emptori restituitur. Habet jus retractus præcipuè locum in 8 emptione-venditione, nec non aliis contractibus, emptoni-venditioni æquipollentibus, puta in datione in solutum voluntaria arg. l. si pradium 4. Cod. de Evict. datione in dotem, vel alià æstimatione, venditionem faciente arg. l. quoties 16. ff. de J. D. Blumlacher

Quid sit Laudemium; an in sola emphyteusi, &c. 191

- 9 de Retrahtu th. 11. num. 1. & seqq. In aliis contractibus, qui ab emptionis-venditionis natura sunt remotiores, locum haud invenit, ut puta in transactione, permutatione vera & non simulata, nec non divisione, prout Idem ibid. adstruit à num. 9. 10 Tempus, ad retrahendum præstitutum, sunt quidem juxta cis. tit. 13. feud. 5. triginta dies, vel ad summum quatuor menses; verumtamen, cum tituli extraordinarii, qui continentur in eod. lib. 5. Feudor. non reputentur pro authenticis, nisi quatenus titulis ordinariis aut Juri Communi consonant: eapropter memoratum tempus non censetur esse legitimum, dum in tit. 9. §. donare vers. porro Feud. 2. & in cap. constitutus 8. de in integr. restit. nec non ex consuetudine perpemodum universali Germaniæ annus & dies à tempore contractus, cum rei traditione completi, numerandus; præstitutus esse deprehenditur. Blumlacher d. l. th. 10. num. 1. & seqq.

## QUÆSTIO II.

Ex quibus causis conductor seu inquilinus possit ex adibus ante tempus migrare?

- 12 **E**numerata sunt nonnullæ causæ in hoc cap. num. 370. Illis annectenda est incommoditas, quæ non sit modica per l. habitatores 27. in pr. ff. Loc. cond. uti est v.g. obscuratio luminum cœnaculi propter novum ædificium l. si merces 25. §. 2. ff. eod. Præterquam si addit dolus aut culpa locatoris, ubi recedere licet & emigrare, etiam si incommodum sit minus juxta sententiam Petri Pacioni de Locat. cap. 60. num. 15. qui tamen in num. 16. & seqq. monst conductorem seu inquilinum, ut cautus sit, ac statim, ubi advertit incommodum, recedat, aut reclamet, ne tacendò & acquiescendò sibi præjudicet, ac facultatem recedendi amittat. 13 Planè si incommoditas proveniat à persona conductoris, non licet ei migrare. Unde, si uxorem duxerit, & ampliori habitatione indigeat, nequit ante tempus conductam habitationem relinquere. Pacioni d. cap. 60. num. 19. Idem est, si quis extra patriam existens domum conduxerit, & postea ab iis, quorum potestati aut curæ subjacet, revocatus fuerit. Pacioni d. l. num. 20. licet in hoc passu Socin. jun. & Simon de Pret. dissentiant. 14 Nec aliud obtinet, quando, qui domum conduxit, promotus fuit ad dignitatem, propter quam in domo conducta non poterat amplius habitare, sed habebat domum residen-

## QUÆSTIO III.

Quid sit Laudemium; an in sola emphyteusi, vel etiam aliis contractibus præsetur?

- 21 **L**audemium, seu, ut alii volunt, laudativum, derivatur à laudando, quod solvatur in laudationem & recognitionem domini seu patroni, velut exponit Franzkius de Laudem. cap. 1. num. 10. vulgò Anlait; & definitur ab eodem Authore in cap. 2. num. 1. quod sit pars pretii vel æstimationis rei ex alienatione certorum bonorum domino directo pro subscriptione & investitura seu receptione in possessionem à novo acquirente persolvenda, ad hoc, ut is domino obligetur, & dominium in illius persona recognoscat. Dixi I. pars pretii vel æstimationis rei; quæ quidem de jure est pars quinquagesima seu duo pro centum juxta l. ult. Cod. de Jure emphyteut. sed de consuetudine plerumque ad majorem summam accedit, ut dictum in hoc cap. num. 425. Dixi II. ex alienatione: neque enim in sola emptione-venditione, sed etiam in donatione, permutatione, successione & aliis casibus, ubi novus emphyteuta subintrat, laudemium præstandum est per cit. l. ult. in verb. qui ad aliam personam transfertur &c. La- tæ Franzkius de Laudem. cap. 14. per tot. dum-